



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Tria in exercitio nostro frequentanda. 35

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

LIBER III.

stans animæ meæ, ideo te rogo, vt in me & per me lucere, ambulare, loqui & operari quæcunq; tibi sunt placita, digneris. Et per sanctissimã humanitatem tuam, quam ex beatissima virgine Maria assumpsisti, permitte diuinitatem in me & per me lucere, sicut Hierosolymis in templo ex te radiabat. Omnesque tam visibiles, quam inuisibiles hostes meos, qui me auertere vel abducere possent a gratia tua, fuga a me: quatenus in eadem gratia tua viuere & mori possim. O summum & optimum bonum meum, vnicum solatium & refugium meum, fac me quæso mitem & humilem corde. Fac me (inquam) præ mortificatione viuum, præ patientia hilarẽ, præ simplicitate prudẽtem, præ paupertate diuitem, & præ humilitate fortem: vt sic in te totaliter & omnino transformari valeam.

De tribus, quæ in exercitio nostro habere debemus. Cap. XXXV.

TRia in exercitio nostro habere debemus: Primum erit in nobis continuum, videlicet interna quædam vnio cum Deo, vt vnus cum ipso spiritus permaneamus, hoc qui sequitur modo: **O** domine Deus meus, perfecte te laudare nō sufficio, sed rogo vt te ipsum in me laudare velis, sicut & ab æterno fecisti. Confiteor enim domine, quod sis vita animæ meæ, quã reficis sine cessatione ex diuina essentia tua, quoties aut emitto vel attraho anhelitum: quodque sis in me, viuificans animam meam. Desidero itaque momentis singulis exire meipm in te, cum omnimoda proprię volūtatis ac illius quod sum

EE & omni-

MARGARITAE EVANG.

& omnium rerum abnegatione. Meque tibi totaliter resigno cum anima & corpore, ad faciendum mecum amabilissimam voluntatem tuam, in tempore & æternitate. Sed quoniam tantus rãp̃ sublimis existis, vt sis omnia in omnibus, laudare te non sufficio propter paruitatem meam. Et quia nihil eorum es, quæ vel cogitari, vel intelligi, scribi vel dici possunt, quomodo te laudare debeam, ignoro. Veruntamen, cum a laudibus tuis, quamuis peccator, cessare non debeam, laudo & glorifico te o cœlestis pater, tibi que gratias ago pro omnibus bonis, quæ per sapientiam & merita filij tui, & amorem sancti spiritus tui in cœlo & in terra dignatus es vnquam operari. Rogoque te per viscera misericordie tuæ, in quibus visitasti nos per dilectissimum filium tuum carne propter nos mortali indutum, transforma me totum in te, nec finas me viuere absque te. Singulas quoque anhelitus mei intractationes, siue vigilem, siue dormiam, suscipias pro intimo orationis suspirio languentis post te anime mee; singulasque eiusdem emissiones, pro ignita ac lucida flamma laudis tuæ, cum lumine fidei, spei & charitatis ad te ascendentis: meque vnias oratecum in clara cognitione, in perfecto amore, & in quieta fruitione ad gloriam tuam, vt in me pacem & gaudiũ semper & vbiq; habere possis.

De altero, quod habere debemus ad horas canonicas, & oratio ante horas dicenda.

Cap. XXXVI.

Alterum statutis ac certis temporibus habere debemus, meditationem videlicet ad septem horas canonicas dominicæ passionis